

nis fuerint mulctati , ut Lictoris , aut Carnificis , fe-  
rale munus in Provinciis subirent . Quod si officium  
hoc Brutiorum fuisse Christi mortis tempore , cur  
succedente propiori ævo non fuit ? Tot enim Marty-  
res legimus in eorundem actis , & flagellis cæsos , &  
morte etiam affectos ; & in nullius flagellatione , vel  
morte , Brutiorum memoriam invenimus ; quod qui-  
dem superius observavimus , & hīc iterum observare ,  
hāud inopportunum judicamus . Alii Lictores , alii  
Tortores , Lorarii alii profecto fuerunt ; cur non au-  
tem Brutii , si iidem in provinciis hoc pro munere si-  
mul , & pro supplicio , habebant ? Post Christi mor-  
tem fortassis atrox poena desit ? Sed qua mercede  
qua gratia ? Dicendum ergo , nunquam Brutiorum  
illud fuisse munus , nec in Christi morte , quemadmo-  
dum post eandem in Martyrum morte non fuit .

Sane quis afferet , Jacobum , Johannis fratrem ,  
fuisse a Brutiis gladio percussum ? Stephanum Levitam  
a Brutiis lapidatum fuisse ? Paulum a Brutiis ter fla-  
gellis cæsum , semel saxis fuisse vulneribus affectum ? Et  
tamen hæc omnia non longe a Christi morte evenisse ,  
in sacris etiam paginis invenimus . Vel ergo nunquam  
Brutii in Christi morte lictores , tortores , lorarii , car-  
nifices , fuerunt ; quia nec ante mortem illam , eos le-  
gimus , nec post eandem , feralia munera illa exer-  
cuisse : vel ulterius afferendum , nunquam Brutios ea  
poena mulctatos a Romanis fuisse , ut munera illa ob-  
irent ; quia nec primi a Romanis ad Poenos defece-  
runt ; nec ultimi a Poenis redierunt ad Romanos : Quod  
præcipuum erat a nobis , contra nuperum Scriptorem  
Gallum , ejusque patronos , & affecas , si qui sunt ,  
ostendendum .